J. J.

DISPVTATIONEM

De

PROCESSV IR-REGVLARI,

sive

TVMVLTVARIO,

à Carpzov. probato & ab Oldekop. impugnato,

CONSENSV ac AVTORITATE

Magnifici JCtorum Ordinis,

SVB PRÆSIDIO

DN. HENRICI Linckens/ JCti,

Sereniſs. Duc. Palatin. Solisbac.

& Inclutæ Reip. Noric. Conſiliarii,

nec non Pand. Prof. Publ.

PATRONI ſui omnis honoris cultu proſequendi,

IN ALMA NORICORVM ALTDORFINA

Die XXII. *Decembr.* Ann. M DC XCIV.

Eruditorum Examini & Disquiſitioni


publice ſubmittet

Reſponſurus

AVCTOR,

JOHANNES HVTTERI,

Citizenſ. Miſn.



HENRICVS MEYER, Univerſit. Typograph. excudit.

PROOEMIVM.



I ulla unquam, certe hæc, promeretur laudem Constitutio, qua optimus Imperator Constantinus M. in L. 1. Cod. Theod. de Jud. Valerio Maximo, *tunc temporis Præfecto Urbi, ut vetus notitia Præfectorum Urbi comprobat, de Officio Judicis in caussis cognoscendis, sequentem in modum rescripsit:* Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere: interrogandi ac proponendi adjiciendiq; patientia præbita ab eo: ut ibi actio partium limitata sit, contentiones, non occursu judicis, sed satietate altercantium metas compresserint, sæpius requiratur, & crebra interrogatione Judicis frequentetur: Num quid novi resideat, quod annecti allegationibus in judiciaria conventione conveniat; cum ad alterutrum hoc proficiat, sive definienda sit causa per judicem, sive ad nostram scientiam referenda. Nec ad nos mittatur aliquid, quod plena instructione indiget. *Priora hujus legis verba etiam* Eleutherii *Papæ Epistolis, qui tamen centum plus annis* Constantinum *præcessisse dicitur, ut observavit* Contius, *inserta reperiuntur, unde* Gratian. c. Judicantem. 11. c. 30. qu. 5. *desumsit, totaq; hæc Constitutio, quamvis à* Triboniano *in pauca contracta, nec parum immutata, repetita legitur* in l. 9. C. Justin. de Judic. *ut taceamus, quæ in Capitularibus & alibi passim de eadem occurrunt, quæ omnia summatim ostendunt, quod judex non, nisi ordine Juris servato*, l. 4. C. de Sent. *atque bene consideratis partium meritis, aut intercedentibus interrogationibus, nunquid partes in causa addere velint, aut possint? sententiam ferre debeat, ut post ordinarios hujus legis Interpretes docent* Gilken. Barbos. & Brunnemann. ad cit. l. 9. C. Justin. de Jud. *præcipue vero celebratissimus Gallorum JCtus*, Jacob.

 Gotho-

Gothofred. *cujus elogia latius prosequitur* Anton. Marvill. *in Præfatione* de Commendat. Cod. Theod. *qui tria esse dicit, quæ integra hac Constitutione circa causas cognoscendas judici observanda præcepit Imperator:* Primo *quidem, ut cuncta ipse rimetur, & ordinem rerum plena inquisitione discutiat;* Secundo, *ut partibus patientiam præbeat, interrogandi, proponendi, adjiciendive, quæ ad rem controversam pertinent, quomodo &* in l. 9. §. 2. de Offic. Proconf. *circa Advocatos Proconsulem patientem esse oportere,* Ulp. *pronunciavit; Deniq;* tertio, *ut idem sæpius interroget partes, nunquid novi adjicere velint. A qua sanctione parum abludit peculiaris locus, qui apud* Plin. l. 6. Ep. 2. *occurrit. Neq; hoc tantum in casu sententiæ ferendæ, sed etiam si judex animo pendeat, ac dubitet; in relatione congrue concipienda observandum præcepit Imperator sacratissimus, ut Princeps suo postmodum rescripto causam rite decidere ac componere queat. Etsi enim Imperator has ipsas relationes propterea, quod protelationibus causarum, ansam dederint, exceptis quibusdam casibus, ut videtur Juris dubii, in* l. 2. §. 21. C. de Vet. Jur. enucl. l. 2. de LL. & Nov. 113. c. 1., *per* Nov. 125. *abrogaverit, ut etiamnum Principes præclare agant, si judiciis præficiant probos & doctos viros, qui ad causas decidendas ipsi idonei sunt, nec relationibus his indigent; Attamen quia non omnes omnino sustulit, atq;* Gregorius IX. *Pontifex easdem iterum revocavit, cum harum studium Curiæ Romanæ & honestum & utile videretur, idcirco judex, quoties vel relationem de causa dubia instituere, vel etiam ipse de negotio cognoscere vult, cuncta rimari & ordinem rerum plena inquisitione, vel maxime hanc ob causam, discutere tenetur, ut sententia secundum ea, quæ ab utraq; parte in rem præsentem prolata fuerunt, concipi possit, juxta monita* Oct. Vestr. in Roman. Aul. Act. sive de Process. l. 3. c. 2. n. 7. *Alioquin si hoc neglectum fuerit, nec sententiæ nomen quidem promeretur, quod pronunciatum est, nec ex post facto vires acquirit rei judicatæ, etsi ex cognitione superaddita adpareat, aliter concipi nec potuisse, nec debuisse sen-*

ten-

tentiam. Scacc. de Sent. & Re Jud. gloff. 13. n. 8. *Ne ergo ὕστερον πρότερον committatur, aut decisio cognitionem pracedat, non solum necessitas pracepti,* in cit. sanctione Constant. *fundata, sed etiam ordo natura atque necessitas medii, sufficientem causa cognitionem requirit, prout egregie deduxit consummatissimus Juris Civilis ac Canonici Interpres,* B. Dn. Ziegler. in Dicast. sive de Judic. offic. concl. 27. per tot. *Et licet non diffiteamur, non nullas reperiri causas, qua tam solidam omnibusq; numeris absolutam cognitionem haud exigunt, ea tamen ut interveniant necesse est, qua pro qualitate causa requiruntur, & ut sufficienter ejusdem veritas investigetur, indeque, quia à nullo processu abesse queunt, ejusdem Substantialia, & de Jure Natura & Gentium necessaria, à Dd. passim vocantur, prasertim* à Ferrar. in Pract. Pap. sub form. libell. act. real. verb. qualis qual. petit. num. 1. Hillig. ad Donell. l. 23. c. 1. lit. D. Brunnem. in Proc. Civ. c. 1. n. 18. *aliisq; pluribus. Sed contra hac omnia quam maxime peccare videtur tumultuarius causas tractandi modus, atq; irregularis processus, quem non raro judicis inepti protrudit inscitia. Attamen cum nihilominus Germanorum ac pracipue Saxonicorum JCtorum Papinianus,* B. Carpzov. in Proc. tit. 1. art. 6. *divisionem Judicii in* Regulare *&* Irregulare *agnoscat, adeoq;* Processum irregularem *sive* tumultuarium *suo modo admittat & probet, ejusq; vestigia sequatur* Nicol. in Proc. p. 1. c. 1. n. 15. *quibus* Just. Oldekop. in Quæst. ad Process. crim. dec. 4. q. fin. & decad. 5. q. 1. *gravissime contradicit; Ea propter haud inutile forsitan erit, Speciminis Academici loco, in hunc articulum controversum paulo penitius inquirere, atq; ita expendere, num ejusmodi* irregularis Processus *admittendus sit, nec ne? Ne vero labor hic in confusionis incidat vitium, ante omnia nonnulla generaliora ad originem & divisionem Processus spectantia pramittenda, postea vero his ipsis, qua de hoc* Processu irregulari *ejusq;* Justitia *hinc inde inveniuntur, subjicienda erunt.* DEUS annuat conatibus & cœpta secundet!

SECTIO I.

De Origine ac Generalioribus ad Processum ejusq; Divisiones spectantibus.

SUMMARIA.

Cognitio Processus à Judicii notitia commode separari nequit, quia arctissime cohærent, hinc §. 1. Homonymiam & Definitionem Judicii exhibet, cujus natura & Instantia latius exponitur in §. 2. Ordo Judicii vocatur Processus §. 3. qui tamen ab ipso Judicio differt §. 4. Processus unde originem suam trahat, an ex Jure Divino aut Naturali disquiritur in §. 5. Postea subjicitur, qualis procedendi modus obtineat in Statu Naturali §. 6. Ex quo substantialia cujusvis Processus deducuntur §. 7. Quæ in quovis Statu semper sunt observanda §. 8. Sed leges populorum positivæ, etiam Divinæ, huic modo specialia circa Processum adjecerunt, quod apparet ex Processu veter. Germanorum, & ex traditis Judæorum §. 9. ex Jure Romanorum §. 10. ac Canonico, quo auctus fuit, & duplex introductus Processus §. 11. Moderatus Recess. & Ordin. Camer. Imperii, deniq; & stylo Curiæ cujusvis loci §. 12. Hinc postea variæ Judiciorum & Processus oriuntur divisiones, §. 13. quæ explicantur in §. 14. Supperadditur modus cognoscendi in causis quibusdam summariis in §. 15. & fit transgressio ad Sect. seqq. in §. 16.

§. 1.

QUoniam Judicium cum Processu tanto nexu junctum est, ut neutrum ab altero separari queat; Ideo melioris declarationis gratia pauca de illis præmittenda esse censemus, ita tamen, ut varias Judicii acceptiones non repetamus, cum per se notæ & sint, & jam dudum prolixius eas explicaverint DD. interq; illos *Azo in Summ. Cod. de Jud. n. 2. Marant. in Spec. aur. p. 1. Vultej. de Jud. l. 1. c. 1. n. 26.* atq; *Rittersh. ad Nov. p. 9. c. 3. qui significationes. 23. verbi judicii & judicare num. 1. refert, posteaq; has ipsas significat. ex Accurs. ad §. 4. Inst. quibus non est permiss. fac. testam.* tribus versibus comprehensas repetit. Sufficiat hac vice, Judicium, dictum quasi jus dicium, à jure scil. dicendo, (cui opponitur justitium, quod vacationes Judiciorum constituit) hoc loco nihil aliud esse, quam legitimam rei controversæ inter litigantes apud Judicem tractationem, eum in finem institutam, ut ipsius sententia lis finiatur, *arg. c. forus. 10. de V. S.* vid. *Duaren. in pr. comm. de Jud. Vult. l. 2. Jurisprud. c. 1. n. 1.* aliiq; plures.

§. 2. Hæc ipsa vero tractatio judicialis hodie præcipue non uno aut altero actu absolvitur, sed, tanquam totum, ut plurimum in duas partes integrales primæ & secundæ Instantiæ dividitur, quanquam hæc posterior accidentalis solum sit, & non semper oc-

currat,

currat, vel quia quis non vult appellare, *l. 4. §. 1. & seqq. de Appell.* vel quia non poteſt, per *tot. tit. Cod. quor. appell. non recip.* vid. *Weſenb. ad Tit. Cod. de Jud.* Inſtantia quid ſit, late diſputat *Aſin. in Prax. Flor. ad rubric. §. 1. cap. 1. cum ſeqq.* Nobis hac vice ſufficiat, quod per inſtantiam intelligamus litis motæ exercititium, ut loquitur *Umm. Diſp. ad Proc. 7. num. 25.* vel, ut ait *Vult. de Jud. l. 1. c. 12.* exercitium judicii, & quidem totius usque ad ſententiam, quod cum vi veritatis apertæ viderint Pragmatici, nec tamen vim Proceſſus penetraverint, excogitarunt duplicem Inſtantiam, citationis ſcil. & Judicii, quarum priorem vocarunt proſecutionem cauſæ à citatione ad lit. conteſtationem, poſteriorem à lit. conteſt. usque ad ſententiam, cui in cauſis civilibus triennium, in criminalibus vero biennium præſcriptum reperitur in *l. 13. C. de Jud. Rittersh. ad Nov. p. 9. c. 3. n. 32.* ſed invita non ſolum Jurisprudentia Romana, verum etiam Praxi, ut ſolide deducit *Dn. Schilt. Ex. ad Pand. 13. th. 3. & 4.* Nam uſu fori etiam in primo ſtatim termino, ſi emaneat actor, reus ab inſtantia abſolvitur, etſi lit. conteſtatio nondum interceſſerit. Vid. *Carpz. p. 1. c. 2. def. 9.* Primæ Inſtantiæ uſitata diſtributione iterum tres conſtituuntur partes: Prima, media, & poſtrema, quarum prior continet actus, qui L. conteſt. præcedunt; altera, quæ eam comitantur, & ſequuntur usq; ad ſententiam; tertia vero eſt priorum conſequens à ſententia usq; ad executionem. Vid. *Jaſon. ad Auth. ad hac. C. de Jud. num. 2.* nec non *Weſenb. cit. loc.* quæ omnia ſatis demonſtrant, judicium infinitis fere conſtare actibus, adeoq; à *Dn. Schilt. cit. Ex. 13.* non incongrue vocari Ens aliquod collectivum, vel aggregatum, ut Dialectici loquuntur, ſive potius actum quendam complexum forenſem, quo judex actoris petitionem, & rei ad eam reſponſionem, contradictionem exceptionesq; recipit, cognoſcit atque decidit.

§. 3. Ordo porro horum actuum non in nuda libidine actoris, rei aut Judicis conſiſtit, ſed certam à jure præſcriptam habet normam, qua non ſervata id, quod geritur, nullum eſſe dicitur in *l. 4. Cod. de Sent. & interloc.* vid. poſt alios *Vant. de Nullit. ex defectu Proceſſus.* Atque hic ordo duplex eſſe ſtatuitur, (1) ſubſtantialis, quo omiſſo vitiatur judicium, & (2) non ſubſtantialis ſive accidentalis, quo deficiente nihilominus ſuſtinetur, *Petr. Gregor. Tholoſ. l. 48. Synt. c. 1. num. 3. Hillig. ad Donell. l. 23. c. 1. lit. a.* aliàsque Proceſſus nomen promeruit. Sicut enim, ut reliquas vulgares hujus

verbi

verbi prætereamus ſignificationes, proceſſus inter alia augmentum aliquod denotat; Ita etiam juridice per Proceſſum augentur actus judiciales, atq; progrediuntur usque ad ſententiam & executionem: quamvis nonnunquam etiam citationes, mandata, & alia Judicum decreta Proceſſus nomine veniant, juxta *Ord. Camer. p. 3. tit. 12. §. 2. in verb.* Und endlich was die Ladung/Mandata, und andere Procefs anbetrifft.

§. 4. Differt ergo Proceſſus, in hac noſtra juridica eaque latiori ſignificatione, pro ordine tractandi ſumptus, à Judicio, tanquam modus à re ipſa. Proceſſus ſiquidem ordinem & modum præſcribit, qua ratione lis in judicio à partibus ventilanda & à judice decidenda ſit; Judicium vero eſt Ens illud collectivum, quod modum hunc complectitur: Utriusq; deniq; objectum eſt res inter partes litigantes controverſa, hæc quippe, ſive cauſa in judicium deducta, materiam Judicii conſtituit, ut fuſius demonſtrant *Vult. de Jud. l. 1. c. 1. n. 15. Schilt. Ex. 13. th. 5. Dn. Stryck. Introd. ad Prax. for. c. 1. §. 5.* Eſtq; Proceſſus in hac ſignificatione ordo legitimus cauſas in judicio proponendi, ventilandi, ac dijudicandi. Variant quidem Interpretes circa genus hujus definitionis, dum alii modum ac formam, alii rationem, alii ordinem judicii, alii ordinem & modum &c. eſſe cenſent, prout videre eſt ex *Carpz. Proc. tit. 1. art. 1. Brunn. de Proc. Civ. c. 1. Schilt. cit. Ex. 13. atq; Fibig. in Proc. c. 1. §. 2.* qui ſolum *Joh. Emer. à Rosbach.* inter eos, quos de Proceſſibus vidit, Scriptores, ſuæ *Prax. Civil.* ſive *Tract. de Proc. Judiciar.* definitionem inſeruiſſe credit; Reipſa tamen omnes conveniunt, quod facile demonſtrari poſſet, ſi inſtituti noſtri id pateretur ratio. Confer. quæ de definitione Proceſſus proponit *Althuſ. L. 3. Dicæol. cap. 24. in pr.*

§. 5. Atque hujus Proceſſus originem tam alte repetunt Interpretes, ut eam Juris quoque Naturalis ac Divini, imo ab ipſo Deo in Paradiſo contra transgreſſores Protoplaſtos obſervatum eſſe asſerant, quos inter referendi *Marant. in Spec. p. 3. num. 132. ſeqq. Rosb. in Proc. t. 1. n. 32. Durand. in Specul. proœm. n. 24. Termin. in Epiſt. nuncup. ad Proc. Carpz. cit. art. 1. n. 24.* & alii, quæ ratio eſt, quod *Octav. Veſtr. d. l. 3. c. 2. n. 7.* citationem, tanquam initium Proceſſus, Juris Divini eſſe credat, commotus exemplo, quod ipſe Deus Adamum ante latam ſententiam in jus vocarit, quæ aſſertio tamen *Umm. Diſp. ad Proc. 1. th. 1.* haud veriſimilis eſſe videtur, & quidem propterea, quod Jure Naturæ omnia communia, & demum ex

Jure

Jure Gentium dominia distincta fuerint, per *l. 5. D. de J. & J.* adeoq; ex hac hypothesi judicium, saltem quo de ulla re, sive respectu dominii, sive alterius alicujus juris ageretur, esse non potuerit. Sed in hujus sententiæ veritatem ut inquiramus, brevitatis ratio, quá constringimur, non permittit. Multa tamen egregia ad doctrinam de communione primæva spectantia vid. apud *Pufendorf.* & præcipue apud *Dn. Thomas. lib. 2. Inst. Jurispr. Div. c. 9.*

§. 6. Interim quoad originem Processus in confesso esse censemus, quod & Naturali rationi & Legi conveniens sit, ut neq; contra inauditum aut indefensum Processus instituatur, neq; sine causæ cognitione sufficienti componatur, idque exemplo suo egregie comprobavit Creator clementissimus, qui protoplastos inauditos è Paradiso expellere noluit, hocque respectu verissimum est, quod tradit *Donell. l. 23. Comm. c. 1.* ordinem Processus non tam arbitrio Legislatorum, quam certo Naturæ Jure constare. Ut tamen naturalis hæc cognoscendi ratio hoc vel illo ordine peragatur, aut ad certam dirigatur normam, lege Naturæ unquam præscriptum esse, non putamus, cum ne quidem inter eos, qui in Statu naturali vivunt, judex detur, qui pro imperio lites exortas componat, sed potius Jus Naturæ exigat ac postulet, ut homines, quæ sibi invicem debent, ultro præstent & exhibeant, sicque damnorum restitutionem sponte offerant, ceu deducit *Pufendorf. de J. N. & G. l. 5. c. 13. §. 1. & 2.* Hoc tantum Juri Naturæ ac æquitati conveniens est, ut quis id, quod ex suo judicio justum esse statuit, si lædens spontanea restitutione connato principio haud satisfaciat, non statim armis asserat, & controversiarum suarum arbitrum bellum & Martem constituat, sed molliora potius in hoc statu tentet ac eligat media, qualia sequentia tria esse perhibentur, ut (1) per amicabile colloquium, vel inter ipsos litigantes, vel etiam inter eorum mandatarios controversia componatur. *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 23. §. 7.* aut ut (2) sors adhibeatur, sicubi vel natura negotii, vel etiam partium conditio permittit, sorte liti finem imponere. *Grot. cit. loc. §. 9.* ac si nec hoc modo controversia exitum suum sortiatur, tandem (3) compromisso causa finiatur, ac, electis utrinq; arbitris, eorum cognitioni res relinquatur, sicque omnibus modis caveatur, ne in bellum prorumpant lites, de quibus modis uberius conferri merentur post *Grot. Kulpis. in Colleg. Grot. ad dict. l. 2. c. 23. Pufendorf. l. 5. c. 13. §. 3. & alii.*

 §. 7. Mo-

§. 7. Modum autem & processum disceptationes & controversias has coram arbitris instituendi, ipsam rationem communem, juxta cujusque negotii indolem, satis superq; indicare, asserit *Pufend. l.5.c.13. §.8.* qui propterea superfluum esse credit, multis præscribere, quomodo partes intentionem suam proponere, aut statum controversiæ formare, aut quomodo, perpensis utriusq; partis argumentis, arbitri electi sententiam ferre debeant. Ubi tamen intentio alterius ratione alia probari nequit, quam per instrumenta, eaque amissa fuerint, arbitris hic nihil amplius superesse dicit, quam ut uni partium, cum consensu alterius, juramentum deferant, sicut & hoc partium arbitrio relictum esse censet, num tali in casu sortis aleam causæ judicem constituere, aut, quod huic affine est, certamen singulare adhibere velint, cujus usus hâc in re passim, etiam in judiciis Germanorum, quondam receptus fuit, ut testantur *Pufend. l.5. c.13. §.8. Grot. d. c.23. §.10. ibiq; Kulpis.* atque *Limn. in Addit. ad lib.5. Jur. Publ. c.7. n.10.* qui inter causas Judicii Provincialis Burggraviatus Norici expresse refert die Kampff-Rechts-Sachen / earumque processum per Ordinationem des Kampff-Gerichts declarat.

§. 8. Ex quibus jam liquet, omnem omnino Statum hominum, etiam naturalis libertatis, in controversiis dijudicandis necessariam ac sufficientem supponere causæ cognitionem, siquidem & arbitri ab illis dati, qui ob Superioris defectum nullum civile agnoscunt imperium, in dubio ita electi præsumuntur, ut, æque ac judices, momenta & merita causæ expendant, atque circa quæstiones facti in nudis & injuratis partium assertionibus æquales se præbeant, adeoq; contradictoria asserentibus non credant, sed potius ad signa, rationes & incorrupta instrumenta respiciant, aut his deficientibus effata testium adhibeant, atque secundum ea sententiam concipiant. Hinc *Phil. Jud. de Decal.* quoties, inquit, desunt argumenta & probationes, quæ ex scripto fiunt, ad testes recidit controversia. Vid. de hoc procedendi modo uberius *Pufend. cit. l. 5. c.13. per tot.* præcipue vero *§. 5. 8. & seqq. usq; ad fin.* ubi insimul circa executionem rei judicatæ monet, quod in statu naturali, quoties ab altero non expletur ultro, quod debetur, sibi quisque suis sociorumq; viribus & armis executionem peragere possit, quæ, quousque licita ac permissa sit, illa, quæ rerum Moralium Scriptores ad bellum justum necessaria esse dicunt, affatim comprobant, de quibus præ cæteris *Textor. in Synop. J. G. c.16.17.* videri poterit. Hæcq; ipsa jam satis

ab-

abundeq; indicant, quid statuendum sit de illis actibus, qui DD. substantialia Processus etiam de Jure Naturali & Gentium constituere dicuntur, de quibus, præter Auctores jam antea in Procemio adductos, videri possunt *Zang. de Except. p. 1. c. 2. n. 9. Carpz. in Proc. tit. 1. art. 1. n. 14. Damboud. in Prax. Civil. c. 21. n. 3.* atq; *Dn. Stryck. in Introd. ad Prax. For. c. 1. §. 14.*, quod scil. ex his illi ipsi, qui ad defensionem rei & legitimam causæ cognitionem pro qualitate negotii necessarii sunt, sine vitio nunquam abesse possint, bene tamen reliqui, qui ultra eos, ex hypothesi Juris positivi & Canonici ad substantialia etiam Processus summarii requiruntur. In his namque substantialibus Juris positivi, non in illis, quæ Juris Naturæ sunt, obtinere dicitur illud, quod Princeps ordinem judiciorum haud servare teneatur. Vid. post *Lanc. Conr. in Templ. omn. Judic. l. 1. c. 1. §. 3. Hillig. ad Donell. l. 23. c. 1. lit. D.*

§. 9. Substantialibus his in Statu civili, pro diversarum Rerumpublicarum conditione, modo pauca, modo plura circa judiciorum ordinem superaddita esse cernimus. Et quidem, ut aliorum populorum hac in re prætereamus instituta, pauca adjecta illis fuisse in veteri compendioso judiciorum Germanicorum processu, variis egregiis exemplis ostendit *Lehmann. in Chron. Spirens. l. 4. c. 21.* ubi inter alia in vers. In berührten Fällen 2c. sequentia proponit verba: Was den Proceß in Rechts-Sachen anlanget/ so ist aus denen Protocollen/ so fast vor 200. Jahren beschrieben/ zu vermercken/ daß vor Alters ein kurtzer Proceß in allen Bürgerlichen Irrungen gehalten/ und schwere Sachen in 2. oder 3. Gerichts-Tägen aufs längste erledigt werden. Et paulo post: Daß die Partheyen nur mündlich/ und gar nicht in Schrifften/ ihre Sachen entweder selbst/ oder durch eines Raths-Verordneten/ und beeydigten Fürsprechen/ nach gestalten Sachen/ entweder vor Gericht oder für Rath vorgetragen/ der Kläger seine Klage kurtz/ ohne Weitläufftigkeit/ doch zur Nothdurfft angebracht/ der Beklagte darauf seine Einrede fürgewandt/ der Kläger hinwieder repliciret/ und der Beklagte dupliciret/ darneben jeden Theil sein Beweiß mit lebendiger Kundschafft/ oder in Schrifften darthan. Quid de Jure Divino forensi Deus populo Judaico circa judicia eorumque processum speciatim observandum præceperit, passim ex Sacris literis, præcipue è libris Mosaicis liquet, quamvis id variis Hebræorum additionibus multis modis auctum videamus, quæ ratio est, quod *Selden. de J. N. & G. juxt. disciplin. Hebræor.*

l. 4. c. 4. & seqq. plura hanc in rem, & quidem de judiciis Hebræorum ordinariis & extraordinariis accumulet, quem vide.

§. 10. Quod vero concernit Jus Rom. diffitendum haud est, quod substantialibus illis plura & innumera fere adjecerit. Utut enim, ob deficientem plenariam Processus civilis historiam, ejusdem exacta destituamur descriptione, asserti tamen nostri veritatem abunde docent varia, quæ non solum in legibus, sed etiam apud Ciceronem, Gellium, Comicos aliosque bonæ notæ Autores extant fragmenta, utut imperfecta, ex quibus aliqualis hujus processus forma patet, quam maxime vero, quod nonnulla peracta fuerint in Jure, sive apud Magistratum, nonnulla vero in Judicio, sive coram Judice pedaneo. In jure fieri dicebantur: In jus vocatio, libelli editio, satisdatio, Advocati postulatio, judicis & exceptionis impetratio, nam non tantum actionis, sed & exceptionis formula concedenda erat à Prætore, per *l. 1. §. 6. ff. Ne quid in flum. publ. Brisson. de form. l. 5.* posteaque sequebantur replicationes & duplicationes, sive ulteriores defensiones. Vid. *Cicer. de Orat.* ubi hunc processum Juris Rom. adumbrat, quem locum, cum parum sit cognitus, illustrat *Dn. Schilt. Ex. 7. th. 3. in med.* Reliqua vero post Lit. Contest. usque ad sententiam dicebantur fieri in judicio, quæ ratio procedendi obtinuit usque ad tempora Justiniani, quibus quidem varia circa morem dandi Judices pedaneos contigit mutatio. Vid. *Nov. 82. pr.* Ipsa tamen ratio judicum pedaneorum nondum plane abolita fuit, ut vel ex levi *Digestor. Cod. & Novell.* inspectione constat. Tandem postquam Magistratus ipsi judicare cœperunt, differentia inter jus & judicium, ut & inter Magistratum & Judicem desiit, teste *Schilt. Ex. 7. th. 3.* atque omnia judicia extraordinaria facta sunt, *juxta §. ult. Inst. de Interd.* ut ita in pluribus longe alia penes Nos instituendi & peragendi judicia invaluerit ratio, quam quæ apud priscos Romanos obtinuit, cujus pleniori descriptione quidem per antea dicta destituimur, brevem tamen proponit exegesin *Vultej. l. 5. disc. 1. & 2. Jurispr. 27.* paulo latiorem *Ræyard. lib. Protrib.* exactiorem autem descriptionem *Pollet. l. 5. Hist. For. Rom.* qui *l. 4. c. 11.* melius agi cum LL. scribit, si veterem procedendi consuetudinem retineamus, cum in hodiernum processum varii, quod dicere fas sit, irrepserint abusus, (quos merito *Vent. de Valent. in Parth. litig.* passim, cumprimis *l. 16. c. 15.* perstringit,) adeoque non amplius verum sit, quod *in dict. §. fin. Inst. de Interd.*

dici-

dicitur: Judicia omnia esse extraordinaria, sed potius: Ea ob prolixiorem procedendi modum & immortalitatem litium esse fere perpetua.

§. 11. Scilicet, postquam ex parvis initiis invaluerunt Judicia Ecclesiastica, atque ab Imperatoribus Christianis approbata & aucta fuerunt, ut latius deduxit DN. PRÆSES *in Dissert. de Jure Episcop. c. 11.* in iisdem, æque ac in aliis judiciis, tempore quoque Justiniani Imper. processus, à Jure Civili aliàs præscriptus, per *Nov. 79. c. 1.* obtinuit; Sed accedentibus his judiciis Ecclesiasticis, variis illisq; singularibus incrementis, per quæ non tantum transcendentia facta, sed seculari etiam potestati plane subtracta fuerunt, ut ortum hunc & incrementa horum Judiciorum DN. PRÆSES *in cit. c. 11. à n. 1. usq; ad n. 29.* ostendit, singularis quoque variis Decretalibus Pontificum præscribi & ordinari cœpit Processus, qui non tantum in judiciis Ecclesiasticis receptus, sed &, ad imitationem ipsius Juris Canonici, quod in multis articulis, ob sanctitatem quam præ se ferre videtur, Juri Justin. palmam præripuit, ac in German. maxime quoad processum prævaluit, ad judicia secularia translatus, tandemq; ita auctus & prolixior redditus est, ut in Ens quoddam, ex multis & infinitis actibus forensibus collectum & aggregatum, excreverit. Hoc cum sequentes Pontifices animadverterent, & viderent, prolixiorem hunc procedendi modum omnibus omnino non congruere causis, maxime illis, qui singularem promereri videntur favorem, expeditiorem & celeriorem procedendi modum reduxerunt, ex certis, quæ vocant, substantialibus Processus constantem, quem oppositive ad priorem vocarunt *summarium*, huncque *Clem. V. in adduct. c. Sæpe. 2. de V.S.* ita determinavit, ut, sola facti veritate inspecta, procedatur, & non nisi necessariæ probationes & defensiones legitimæ admittantur, hacque dispositione *Jur. Canon.* distinctio in processum *ordinarium* & *summarium*, hodienum usitatissima, ut mox aparebit, introducta est.

§. 12. Præterea in *Ordinationibus Cameræ*, inprimis ea, quæ *Anno 1555.* promulgata reperitur, *alisq; Imper. Recess.* præcipue in novissimo *Imp. Recess. de An. 1654.* forma procedendi plenius descripta ac determinata fuit. Judiciorum tandem speciales Ordinationes cum Observantia, multa subinde adjecerunt, & hæ primas in formando processu constituunt partes, ut in vulgatum abierit dicterium: Nosse stylum Curiæ valere pluris, quam totam scientiam juris, teste

Dn. Stryk. in Introd. ad Prax. Forens. c.1. n.17. Stylo hoc Curiæ deficiente, forma procedendi in *Recess. Imper.* necnon in *Jure Can. lib. 2. Decretal.* proposita (cum pauca, quæ sunt Juris Civ. quoad formalia judicii in foro obtineant) spectanda, ac, pro diversitate causarum in judicium deductarum, diversa quoque ratio procedendi observanda erit.

§. 13. Sic itaque variis judiciorum divisionibus, juxta quas vel (1) interiora, vel exteriora, hæcq; porro vel (2) Ecclesiastica vel secularia, vel (3) simplicia vel duplicia, vel (4) universalia ac generalia vel singularia, vel (5) petitoria vel possessoria, vel (6) criminalia vel civilia, vel (7) principalia vel præparatoria esse dicuntur, de quibus vid. Interpretes, interque eos *Vult. de Jud. l. 1. c. 2. Rosb. in Proc. t. 1. n. 4. & seq. Rittershus. ad Nov. p. 9. c. 3. num. 4. & seq. atq; Marant.* qui *in Spec. suo* viginti duas refert & explicat, a diverso hoc procedendi modo superaddi cœpit divisio in ordinaria & summaria, quæ posteriora quoq; à DD. alio sensu, ac in §. *fin. Inst. de Interd.* vocantur extraordinaria, vocabulo non adeo concinno. Processus enim ordo certus judicii est, non admittens extraordinarium quid, quod ordini huic contrariatur, atque nihil aliud involvit, quam id, quod ordine caret, aut inverso ordine tractatur, id quod naturæ processus plane repugnat: Convenientiora proinde erunt vocabula judicii ordinarii atque summarii, sive solennis & minus solennis, quibus & alii DD. utuntur, interq; eos *Schilter. Ex. 13. th. 7. Brunnem. in Proc. c. 1. n. 16. Struv.* & alii.

§. 14. Dicitur vero judicium ordinarium illud, in quo pleno ac solenni ordine proceditur, & stylo cujusq; fori consueto; summarium vero, in quo observatur modus procedendi compendiosior ac brevior, sufficiens tamen ad veritatem, quantum satis est, exquirendam. Utrumque hoc judicium, juxta hactenus deducta à Jure positivo dependet. Etsi enim processus substantialia ad Jus Naturæ & Gentium Interpretes passim referant, ut jamjam innuimus; Id tamen suo modo, & quoad ea solum procedit, quæ à processu sine vitio abesse nequeunt, adeoque etiam in Statu naturali, ad cognitionem causæ arbitris committendam, necessaria sunt, jus autem positivum ad processum summarium applicavit. Cæterum uti processum ordinarium debemus Curiæ Romanæ & Juri Canonum; Ita eidem etiam acceptum ferimus processum summarium, quem inprimis *Clemens V. in c. Sæpe. 2. de V. S.* exposuit. Totum judicii ordi-

ordinarii processum paucis delineavit *Rosbach. in Proc. tit. 21.* atque rythmis Germanicis, politiorem tamen hodierni temporis Poesin haud præ se ferentibus, expressit *Termin. in Proc. c. 2.* Ad eum regulariter pertinent omnes causæ, nisi vel ipso jure, vel utriusque partis consensu exceptæ sint, ut summarie tractentur, quod litigantibus perquam expedit, ut eo citius lites finiantur. *Lauterb. ad tit. ff. de Judic. th. 10.* Etsi enim nonnulli DD. hanc processum ordinarium immutandi potestatem partibus denegent, propterea, quod solennis judiciorum ordo sit Juris publici, cui per partes renunciari nequit, *arg. l. 38. ff. de Pact.* vid. *Marant. in Spec. P. 4. dist. 4. n. 13.* illorum tamen sententia non solum falsa, sed & non nisi ad protelationem litigiorum excogitata est, cum processus ordinarius non favorem Reip. sed partium solum concernat, ut demonstrant *Carpz. in Proc. tit. 1. art. 1. n. 59.* atque *Brunn. in Proc. Civ. c. 1. n. 18.* unde porro fluit, quod Principes & Status Imperii, abrogato hoc processu, summarium ejus loco surrogare possint, modo sufficiens causæ cognitio non excludatur. Vid. *Brunnem. c. 1.* Quæ vero causæ, propter singularem rationem, pro summariis habeantur, enumerant Pragmatici passim, præcipue *Zang. de Exc. p. 1. c. 1. num. 66. seq. Carpz. p. 1. c. 2. def. 10. & in Proc. tit. 1. art. 1. n. 47.* ac *Jacob. Schultes. obs. 3. ubi 150.* refert, quas omnes *Brunnem. in Proc. c. 1. n. 21.* ad quatuor capita generalia recenset, dum Processum hunc summarium introductum esse docet, 1) ob salutem publicam, præsertim in causis tributorum & inquisitionis criminum, nec non in causis militum &c. 2) ob qualitatem & favorem personæ, & rei, Ecclesiæ sc. Viduarum, Mercatorum &c. 3) quia res non patitur moram, ut in alimentorum & sepulturæ causis &c. 4) ob parvitatem præjudicii & facilitatem reparationis, quo respectu remedia possessoria summaria esse dicit, nec non processum Legis diffamari, in quibus omnibus tamen Judicis φρονήσει & arbitrio haud parum relictum esse dicit *Schilter. Ex. ad Pand. 13. th. 7.* cum & in ordinario Processu lites *ex Zenon. Constit. in l. 12. C. de Jud.* compendiose decidere teneatur, præsertim postquam nostra procedendi ratio Romana longe prolixior reddita est.

§. 15. Ob diversa ista Capita, ex quibus Processus summarius fluit, etiam diversas sortitur qualitates, ut differat & gradibus & specie. Et gradibus quidem, qui in exacta aut minus exacta consistunt cognitione. Datur enim I.) Processus summarius sive minus

solen-

solennis, sed cum causæ cognitione exacta, & sufficiente ad veritatem exquirendam, aliisque requisitis *Clem. 2. de V. S.* huncque Status Imperii, salva Justitia, ordinario processu abrogato, non solum per doctrinam *Brunnem. loc. cit.* introducere, sed& eodem in omnibus causis, tum exiguis, tum gravioribus, judices inferiores meliori cum conscientia uti possunt, quam apicibus Processus, ut docet *Schilt. Ex. 13. th. 8.* II.) Datur Processus summarius, minus quoque exactam causæ cognitionem continens, propterea quod pro scopo non habeat principalem causæ definitionem; sed præparatoriam tantum usque ad plenariam cognitionem, vel etiam informatoriam, ut judex certus fiat de via processus ordinaria aperienda. Ex quibus gradibus oriuntur diversæ quoq; species Processus summarii, ad quarum *priorem* spectat processus inquisitorius, qui à judice ex officio summaria quidem, exacta tamen causæ cognitione tractandus est; *alteram* constituit possessorius summarius, in quo præparatur via ad ordinarium possessorium in interdictis retinendæ possessionis. Quam distinctionem possessorii non sine rationibus impugnavit *Mindan. de Interd. Comm. 13. num. 24. & seq.* quem hâc in re variis adductis argumentis sequitur *Brun. in Proc. c. 1. n. 45. seq.* sed tamen quoad litigiosam possessionem, ob periculum armorum, in Immediatis Imperii per *Ordin. Camer. p. 2. t. 21. in fin.* probata, tandemque in omnibus de possessione litigantibus, utut in his periculo armorum facilius occurri possit, per Praxin recepta est. *Tertia* est, qua executio promta ac parata intenditur, exindeque Processus Executivus appellatur, qui causæ cognitionem quidem minus solennem, sufficientem tamen, imo perfectam requirit, non partium perfectione, ut alias loqui solemus, sed graduum, quia non omnis generis exceptiones in eo admittuntur, sed eæ tantummodo, quæ in continenti liquidæ sunt, cæteris ad reconventionis processum rejectis. Origo hujus processus non à Romanis, sed nostris potius dependet moribus, nec iis tamen vetustioribus, ubi major fides habebatur testibus, quam chartæ aut scripturæ, unde huic illi perpetuo fuerunt adhibiti, ut in casu litis emergentis produci possent, sed, postquam compendiosus Germanicorum judiciorum processus, de quo jam antea, à Curiæ Pontificiæ procedendi ratione sublatus, imo consumtus, & litium immortalitas excogitata est, prudenti consilio in Germaniæ provinciis hæc summaria processus executivi forma recepta fuit, ut saltem in illis causis,

quibus

quibus ex ſcriptura debitoris, æque ac ejus confeſſione, de debito liquet, vitilitigia evitentur, atque fides, utpote humanæ ſocietatis vinculum, eo melius ſervetur.

§. 16. Præter has proceſſus Summarii ſpecies nullas amplius moribus receptas aut probatas eſſe docemur. Cum tamen his, ut ex præfatione liquet, nonnulli JCti, etiam celebratiſſimi, adjiciant Proceſſum, quem vocant irregularem ſive tumultuarium; Quare ordinis ratio poſtulat, ut eundem nunc quoque paulo penitius intueamur.

SECTIO II.

De Proceſſu irregulari ſive tumultuario in ſpecie.

SUMMARIA.

In §. 1. Autor hujus Proceſſus ejusq; Suffragator nominatur. Significatio vocum regularis atq; irregularis etymologice evolvitur in §. 2. Quid Juridice ſignificent, & quomodo Carpz. iis utatur, adducitur in §. 3. & 4. In mentem Carpzov. accuratius inquiritur, & Proceſſus Irregularis Cauſa efficiens §. 5. Objectum §. 6. Forma §. 7. & Finis §. 8. proponuntur. Rationes, quibus illum impugnat Oldekop. referuntur §. 9. 10. & 11. Quæ ſententia probanda, quæritur in §. 12. An dari poſſit Proceſſus Irregularis, tractatur in §. 13. ubi variis rationibus & adſtruitur & ſimul in § 14. confirmatur. Mens porro Carpzov. reſolvitur ac fuſius explicatur §. 15. Oldekopii rationibus reſpondetur §. 16. tandemq; concluditur in §. 17.

§. 1.

DIverſis Judiciorum ac Proceſſuum diviſionibus, quas in antecedentibus conſideravimus, *Saxonicorum JCtorum Decus*, *Carpz.* loco ſubinde allegat *ſ. il. in Proc. tit. 1. art. 6.* tandem ſuperaddit & hanc, qua Judicium in *Regulare* & *Irregulare* diſtinguit, eamq; à nemine, qui proceſſualia hactenus tractavit, propoſitam, obſervantia tamen fori ita comprobatam eſſe credit, ut ſicco haud prætereunda fuerit pede, qua in re ſuffragatorem invenit *Practicum celeberrimum, Joh. Georg. Nicol. in Proc. p. 1. c. 1. n. 15.* Sed enim cum peculiari modo vocabulo irregularis proceſſus utatur, ante omnia termini erunt explicandi, ut eo magis appareat, quid de hac Carpzoviana diviſione, quæ excellentiſſimis JCtis non parvam diſſidiorum anſam præbuit, ſentiendum ſit.

§. 2. Et quidem verbum regulare à regula ſuam denominationem ſortiri, in vulgus notum eſſe putamus. Eſt enim id, quod

ſecundum regulam fit. Utut autem verbum regulæ interdum accipiatur pro inſtrumento, quo regimur in re ſcite agenda; interdum pro norma, qua lineæ diriguntur; interdum quoque pro brevi rerum præceptione, quæ definit, quid agendum vel faciendum ſit, prout teſtatur *Martin. in Lexic. Philolog.* ut hac ratione etiam adjectivum ex regula deductum multiplicem recipiat ſignificationem; In frequentiori tamen & potiori ſignificatu regulare id indicat, quod regulæ eſt conveniens, ac cum ordinario alioquin convenit, ut teſtantur Lexicographi paſſim. Irregulare proinde id erit, quod regulæ non quadrat, ſed ab eadem deflectit, vel deficiendo, vel abundando, quando ſcil. deſunt, quæ adeſſe regulariter debent, & adſunt, quæ regula non requirit: Regulare namque & irregulare aliquid dicitur non per ſe & abſolute, ſed reſpectu regulæ, ad quam exigitur, ita, ut, quicquid cum iſta congruit, regulare, quicquid ab ea diſcrepat, irregulare vocetur, teſte *Kulp. ad Monzamb. p.2. c.6. §.13.* Regula vero vel dependet à Jure Naturæ & Gentium, vel à Jure poſitivo, & pro hujus diverſitate dicitur etiam aliquid regulare & irregulare.

§. 3. Hancque ſignificationem quoque ſupponit *Carpzov.* qui tamen pro regulari judicio habet non ſolum illud, in quo Judiciorum ſubſtantialia ac ſolennia deprehendere licet; ſed etiam extraordinarium & ſummarium, in quo levato, quod ajunt, velo absque ſtrepitu & figura judicii proceditur, quod ſuo quidem modo irregulare eſt, in eo tamen *à Carpzov.* pro regulari habetur, quod à regulis Juris quoad ſubſtantialia proceſſus non deflectat, nec confuſe ac tumultuarie tractetur, ſed obſervatis potius ſubſtantialibus illis proceſſus, quæ tum Juris Naturæ & Gentium eſſe dicuntur, tum etiam à Jure poſitivo dependent, atque in anteced. Sect. *ex Cl. Sæpe.2. de V. S.* deducta reperiuntur, ob quæ ſemper judicium ſummarium integrale quoddam eſſe dicit, ſuo conſtans initio, medio & fine, adeoq; regula certa.

§. 4. Irregularem ergo Proceſſum hunc vocat *Carpzov.* in quo etiam ſubſtantialia iſta Proceſſus ſummarii omiſſa inveniuntur, eumq; hunc in modum deſcribit, quod ſit talis proceſſus, qui nec ab actione certa incipit, nec omnes proceſſus ac judicii articulos recipit, ſed in certis quibusdam capitibus ſubſiſtit, vel, obiter ac tumultuarie tractatus, judicis cognitioni ac ſententiæ ſubmittitur. Quia vero in ſua hac definitione tumultuariæ tractationis facit

men-

mentionem; Ideo eundem postea ipse tumultuarium nominat *in Proc. tit. 8. art. 5. num. 3.* quo nomine passim hodie insigniri cœpit, atque subinde utitur *Oldekop. dec. 4. qu. fin. & dec. 5. qu. 1.* ut adeo Processus irregularis & tumultuarius synonymicè pro uno eodemq; habeatur, qua occasione brevissimis notandum, tumultum nihil aliud, quam perturbationem magnam, quæ ex hostili incursu aut populari seditione oritur, atque majus quid turba esse, de qua & quomodo à rixa differat, videri potest JCtus *Ulp. in l. 4. §. 1. & 2. ff. vi bon. rapt.* ubi insimul indicat, turbam appellari ex genere tumultus, quem Isidorus quasi timorem multum dictum esse censet. Plura de hoc vocabulo vid. apud *Lexicogr. & Cic. 8. Philipp.* unde tumultuarium omne illud dicitur, quod rapide fit, atque præproperum est.

§. 5. Sicut autem ex definitione proposita apparet, quod *Carpzov.* hunc suum processum irregularem duplicem faciat, & primo quidem eum, qui, ratione objecti, in certis quibusdam capitibus subsistit, alterum vero ratione modi, qui obiter ac tumultuarie tractatus judicis decisioni submittitur; Ita Causam ejus efficientem non tam esse dicit Juris autoritatem, quam potius æquitatem ac consvetudinem, cui asserto suffragari videtur, quod in *Sect. priori* de Germanis ex *Lehmann. Chron. Spir.* observavimus, eos, antequam operosus Juris Canonici processus invaluit, modo procedendi breviori, maximeque restricto usos fuisse, quem mores hodierni Germaniæ iterum probarunt in Executivo processu, ut saltem in iis causis, quibus debitoris confessio ex scriptura manifesta est, priscus Germanorum candor, sine longo litis sufflamine, suæ restituatur integritati; qua occasione facile quoque hic irregularis procedendi modus obtinere potuit, maxime cum litigantium paupertatem, & ut sumtibus parcatur, nec non periculum, quod subinde ex mora oritur, pro causa impulsiva habeat, aliasq; explorati juris sit, litigantium pariter ac reipublicæ interesse, processum abbreviari litemq; subito finiri, *l. 2. de Re Jud. & l. 10. C. de Transact.*

§. 6. Objectum hujus processus non solum in genere omnes illas causas esse credit *Carpzov.* quibus vel passus Juris dubii incidit, vel quæ nullam admittunt moram, vel etiam ubi litigantes sunt pauperes, ut compendiosam illarum tractationem ipsa svadeat æquitas sed etiam in specie causas calculationum, rationum reddendarum, concursus creditorum: prætereaq; certa quædam capita, quibus,

 vel

vel contumacia ſubditorum quævis, vel etiam ſpecialiter contumacia eorum, qui nobilibus ſervitia præſtare recuſant, mulcta pecuniaria aliaq; pœna coërcenda eſt, prout *in Proc. tit. 8. art. 5. n. 3. nec non num. 20. & ſeq.* demonſtrat.

§. 7. Modum peragendi hoc judicium vel ipſa Ejusdem indicat denominatio, dum illud non ſolum irregulare, ſed & tumultuarium vocatur. Quare *Carpzov.* eundem ſequentibus indicat verbis: *Quod nec ab actione certa incipiat, ſed in certis quibusdam capitibus ſubſiſtat, ac obiter & tumultuarie tractetur.* Quænam vero illa capita ſint, id aliter non explicat, quam quod certa contumaciæ exempla referat, hoc proceſſu punienda, inſimulq; judicibus veniam tribuat, qui in proceſſu tumultuario, vel ſuper quodam juris articulo, moram & protractionem omnem evitare cupiunt, ſicque cauſam ſtatim decidunt, ne, quod cito expediri poteſt, proceſſui longinquo reſervetur. Modum proinde tractandi hoc judicium, non tam legibus aut moribus præſcriptum, quam potius arbitrio judicis relictum eſſe aſſerit, cui opinione hoc vel maxime ſuffragatur, quod in omni etiam ordinario proceſſu judex teneatur compendioſe lites tractare ac decidere, per *l. 12. C. de Jud. jam antea allegat.*

§. 8. Finem, quem hic proceſſus intendit, hactenus dicta ſufficienter innuunt, quod ſcil. ſit, ut cauſæ earumq; puncta, quæ hoc proceſſu tractantur, ſine ſtrepitu judicii, de ſimplici & plano (liceat hac formula uti, qua alioquin Proceſſum ſummarium peragi dicunt) decidantur & finiantur, hocq; modo ſumtibus parcatur, ac, litigantium & Reipublicæ bono, proceſſus abbrevientur, nihilominus tamen Juſtitia recte adminiſtretur. Qua propter judicibus ignoſcendum eſſe docet *Carpzov.* ſi non ordinem juris, Juſtitiam tamen obſervaverint, quod aliis verbis ita declarat: *Se quidem nolle defendere partes judicum, qui licentiam ſibi ſumunt proceſſum quemvis ex ſuo dirigere cerebro, ſed iis ſolum veniam polliceri, qui hoc proceſſu cauſam ſtatim decidunt.* Quapropter *Carpzovii* hac in re Sectator *Nicol. cit. c. 1. n. 15.* caute ac provide ſemper procedendum eſſe aſſerit, ne proceſſus hic fiat mantellum injuſtitiæ, præcipue quando judex imperitus, aut caſum pro amico animo volvens, aut immemor ſaluberrimi moniti *Imper. Juſtinian. in l. 14. v. ſi enim. C. de Jud.* repetiti in Sächſ. Land-R. *l. 3. art. 30. v.* Der Richter ſoll. licentiam ſibi ſumit, proceſſum aut nimis violenter tractare, aut ex ſuo dirigere cerebro, hocque modo æquitatem fingere cerebrinam, nulla

Juris

Juris ratione suffultam, quod ipsum hodie, quam plurimi litigantium, maximo suo damno, sæpius experiuntur. Hæcq; sunt, quæ de Processu irregulari tum formando, tum justificando, Ejusdem defensores adducunt.

§. 9. Sed sicut in aliis plerisq; assertionibus, quæ duriora visa fuerunt, suum contradictorem in *Oldek.* persona nactus est *Carpz.* Ita quoq; idem ipsi contigit circa hunc ipsum Processum irregularem sive tumultuarium. Eum namq; *Oldek. in Quæst. ad Proc. Crim. dec. 4. qu. ult. & dec. 5. qu. 1.* acerrime impugnat, variisq; destruere conatur rationibus & argumentis, quæ sequentia potissimum complectuntur: (1) Quod inter diversas Judiciorum divisiones, quas *Wes. in Paratit. ff. de Jud. n. 8. Rosb. in Proc. t. 1. n. 4. Marant. in Spec. Siv. de Ordin. Jud. p. 4. Tholos. l. 47. Synt. c. 4. & seq.* aliiq; plures satis prolixe & copiose explicant, atque XXII. recensent, nullus unquam, ne verbulum quidem proposuerit, quod novæ suæ, nec unquam auditæ divisioni ansam præbere potuerit *Carpzov.* quod & ipse ingenue fatetur, se neminem judicia ac processus ita distinguentem vidisse. Proinde cum novitas semper sit suspecta, teste *Wesenb. in Parat. ff. Quod quisq; &c.* quæ non aliter in jure constituendo considerari potest, quam si evidens ejusdem appareat utilitas, suadens, ut à jure, quod diu æquum visum est, recedatur, *l. 2. de Const. Princ. & c. 3. X. de Consf. & Affin.* merito quoq; hanc distinctionem, noviter excogitatam, non solum superfluam, sed etiam prorsus inutilem, imo justitiæ damnosam, & propterea improbandam esse dicit, perinde ut illa *Rob. Marant.* Practici celeberrimi, vi cujus judicium aliud validum, aliud invalidum esse voluit, *in Spec. P. 4. dist. 6. sub init.* & quidem ex causa paulo post allegata, quod, qui bene distinguit, bene doceat, ac è contrario recte dicatur, male distinguentem male docere, quod posterius *Oldekop.* (2) præcipue in hac distinctione usu venire videtur, quia irregulare judicium illis quoq; requisitis substantialibus, quæ Jure Nat. & Gent. in quovis processu necessario adesse debent, destituitur, adeoq; ob hanc causam reprobari debet. Est namq; Jus Nat. immutabile, & quæcunque de eo aut Gentium Jure in litigiis ad Justitiæ administrationem exiguntur, ut sunt narratio facti, responsio, probatio, defensio, sententia, salva justitia omitti haud possunt, ne vel innocens reus condemnetur, vel etiam actor perdat causam justissimam. Perinde itaque *Oldek.* esse videtur, ac si *Carpz.* judicium divideret

 in

in bonum & malum, justum & iniquum, validum & invalidum. Neque Ipsi suffragari dicit distinctionem *Marant.* antea adductam, cum in ea, æque ac *Carpz.* in hac sua distinctione, contra Logicorum regulas peccet. Membra enim divisionis à se invicem disjuncta & seposita, ita tamen comparata esse debent, ut cum toto conveniant, cum eoque reciprocari possint, alioquin evertunt naturam divisi. Præterea (3) urget *Oldek. Carpzovium* voluisse processum substantialibus Juris N. & G. destitutum constituere, à quo omne jus abhorret, cum ordinis neglectus ac præposteratio vitiet actum & sententiam, *c.22. ✕. de Rescr.* in quocunque processu, etiam summario, maxime si sine legitima cognitione aut probatione lata sit. *Rosbach. in Proc. t.72. de Nullit. Sent. n.25. & seqq.* Unde (4) prono alveo fluere censet, quod processus irregularis sine lege & ratione, sub titulo & colore æquitatis fictæ, in Justitiæ perniciem excogitatus sit, cum tamen correctiones LL. in omni interpretatione vitandæ, nec jura, tot vigiliis composita, iterum pro placito Interpretum tollenda sint. Quamobrem prætensam fori observantiam seu praxin, quam *Carpzov.* pro ratione principali supponit, nec se, nec alios unquam audivisse, &, si alicubi locorum irrepserit, eam, (5) tanquam irrationabilem & suspectam, rursus eliminandam esse docet, dum vel ipse *Carpz.* haud diffiteatur, judices sæpius hoc mantello errata sua tegere, nec ad rem facere putat, quod *Carpzov.* de Justitiæ observatione annectit; siquidem si Judices, tali ordine tumultuarie procedendo, in non iniquam sed justam aliquando inciderint sententiam, id valde per accidens fieri & meri casus fortuiti esse, juxta notissimum illud veri verbium: Ein blind Huhn findet auch bisweilen eine Erbs.

§. 10. Ulterius (6) monstroso huic, uti id appellat, judicio, vel ipsam judicii definitionem opponit, quod scil. sit legitima rei controversæ apud judicem tractatio, quæ irregularitati omni & tumultuariæ tractandi rationi contrariatur, atque insanabilem ejusdem nullitatem arguit, idque in tantum, ut ne consensu quidem vel conventione partium convalidari possit, hactenus scil. ut valeat tanquam sententia, quamvis nihil obste, quo minus in vim pacti & conventionis comprobari possit. *Ant. Gabr. l. 2. Concl. Commun. tit. de Sent. concl. 2. n. 6.* Neque iterum (7) nullitatem hanc sanare videtur, quod de Justitiæ observatione annectit *Carpz.* siquidem judex jus & Justitiam tunc demum administrare censetur,

quan-

quando Juris ordine ſervato procedit, & litigatores cauſæ ſuæ merita explicantes patienter audit, *L. Judices. 6. cum Auth. ſeq. C. de Jud.* minime vero quando, ordine judiciario non ſervato, decernit, argumento eorum, quæ notat *Gloſſ. in L. Juſta. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Periculum moræ ut evitetur & protractio litium, non ſtatim (8) hunc tumultuarium procedendi modum ſalvare poſſe credit *Oldek.* cum ſub hoc prætextu imperitis judicibus, propriis etiam affectibus in quocunq; proceſſu ad præcipitantiam inclinantibus, pejori exemplo calcar quaſi addatur, atque faveatur præcipitantiæ, quæ tamen noverca Juſtitiæ & plena periculi res eſt. Non diffitetur quidem, quoties periculum ex mora extimeſcendum eſt, toties poſſe à regulis Juris communis recedi, per *l. 5. §. 11. de Nov. op. Nunc.* quin & partes contra naturam transactionis ad concordiam compelli, ſi vel timor ſubſit ſcandali, aut ne ad arma confugiant, aut ſi articulus controverſus ita ſit de apicibus juris, & adeo ſubtilis, ut, propter opiniones ex utraque parte militantes, cauſam potius componere, quam judicis cognitioni ſubjicere expediat. *Card. Tuſch. Lit. C. concl. 464. n. 8.* Non tamen tali caſu mox novum, & quidem ejusmodi formandum eſſe cenſet judicium, in quo ne ſummariaria quidem procedendi ratio invenitur: cum nullus plane proceſſus, ſive eum ſummarium, ſive alio quocunque nomine indicare velimus (ſolo momentaneo propter periculum armorum excepto) ſalva Juſtitiæ & Juris Divini ac Nat. ratione, absque eorundem læſione contractius exerceri, & celerius expediri poſſit, ac eo modo, quem in notiſſima pariter ac in omnibus bene conſtitutis judiciis approbata *Clem. Sæpe. 2. de V. S.* ſalutariter præſcriptum legimus. His addit (9) *Carpzovium* in excuſando ſuo proceſſu diverſis quidem uti verbis, unum tamen idemq; proponere, imo id, quod improbat, excuſare, quod prohibet, permittere, & quod permittit, prohibere; ut hac ratione non cauſæ cognitioni & deciſioni legitimæ, ſed caſui potius pro amico locum relinquat, cum tamen ſciamus, hos caſus magis eſſe pro diabolo, teſte *Theſaur. deciſ. 89. n. 3. & dec. 206. n. 13.*

§. 11. Denique (10) ad exempla hujus judicii irregularis à *Carpzov.* adducta *in dec. 5. qu. 1.* ita reſpondet *Oldekop.* quod prius, nempe mos à ſubditis mulctam per proceſſum tumultuarium extorquendi, obſervantia fori; in qua ſe fundat, confirmari nequeat, cum rei non bonæ conſvetudo nulli juri præſcribat, etſi longiſſimum

mum intercesserit tempus. Melius itaq; fuisset, si *Carpzov.* malum istum morem, etiam à semetipso improbatum, potius exterminasset, quam sua autoritate comprobasset; Ratione posterioris autem exempli, scil. contumaciæ subditorum, Nobilibus servitia præstare renuentium, pro coloranda sua opinione citasse quidem *Carpzov.* textus & DD., sed ad hunc casum & processum tumultuarium male applicatos; quin potius distinguendum esse: An subditi ad servitia indubitate sint obstricti, an non? ut illo casu nullo opus sit processu, sed operas debitas præstare recusantes, captis pignoribus, mulcta vel incarceratione, ad obedientiam, secundum locorum consvetudinem, adigi possint; hoc autem non per processum tumultuarium, sed potius per sufficientem causæ cognitionem, contra subditos recusantes procedendum sit, cum plures dentur casus, quibus Domini suos subditos ad operas non debitas, & insolitas compellere solent. Valde ergo miratur *Oldekop.* quid moverit *Carpzov.* potentioribus, contra quos utplurimum militat præsumtio juris, & qui subinde susq; deq; habent, quid de servitiis subditorum jura statuant, nova & suspecta sui tumultuarii processus arma sub Justitiæ prætextu, contra misellos rusticos subministrare, & ne verbulo quidem attingere, quomodo illis subveniendum sit. Hæc in synopsi quasi sunt, quæ operosius ad hunc Processum impugnandum *Oldekop.* adducit.

§. 12. Sane, quænam tandem in hoc controversiarum genere probanda sit sententia, non adeo in proclivi esse videtur, dum praxeos, præcipue Saxonicæ, peritissimus Interpres *Carpzov.* est, pro quo, perinde ut pro aliis DD. de consvetudine testantibus, probabilis militat præsumtio, per doctrinam *Mascard. vol. 1. concl. 426. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 1. th. 9. l. H.* cui non parum suffragatur, quod hujus sui judicii celeriorem Justitiæ administrationem unicum constituat scopum: Contra vero tumultuaria ista procedendi ratio vel solo hoc nomine se suspectam reddit, ut taceamus, quod Carpzov. utatur verbis, partim ambiguis, partim etiam generalioribus, primo intuitu non satis indicantibus, an sub illa justam & necessariam cognitionem comprehendat, an vero eandem excludat, ut vel maxime propterea pro figmento haberi possit, juxta ipsum cordati JCti, *Dn. Brunnemann.* effatum, qui in *Proc. Civ. n. 1. n. 23.* sequentibus utitur verbis: ***Præmonendus autem est Lector: Nos non intelligere Processum tumultuarium, quem nonnulli sibi ipsis fingunt.***

gunt. Quia tamen credendum vix eſt, optimo JCto *Carpzovio* eam excidiſſe, aut in mentem veniſſe ſententiam, quæ rationi Naturali aut analogiæ Juris plane contrariatur; Ideo negotium illud adhuc paulo penitius conſiderabimus, præſertim cum non omnia, quæ ab *Oldekop*. adducta ſunt argumenta, (quod tamen pace JCti hujus excellentiſſimi, cujus autoritatem ſemper veneramur, dictum eſſe volumus) ita comparata eſſe videantur, ut nihil extet, quod ipſis reponi queat.

§. 13. Ne tamen in incerto vagemur, duabus totum id, quod controverſum eſt, tractabimus quæſtionibus, quarum *prima* eſt: *An Proceſſus, qui compendioſior ſummario eſt, hocq; reſpectu irregularis vocari poteſt, detur & exiſtat? Altera* vero: *An is, quem Carpzov. cit. loc. præſcripſit, ac non ſolum irregularem, ſed etiam ſubinde tumultuarium appellavit, ſicq; his vocabulis ſynonymorum loco uſus eſt, prout jam antea monuimus, pro tali ſit habendus? Prior quæſtio* ſe ipſam facile ex hac noſtra Diſſertatione reſolvet. Demonſtravimus enim in *Sect. 1. §. 14.* (1) utrumque Proceſſum, ordinarium & ſummarium, à juris poſitivi determinatione dependere, de jure vero Naturali (2) nullum peculiarem in cauſis procedendi modum præſcriptum extare, ſed rationem ſolum naturalem exigere, ut ſufficiens, pro cujusque negotii indole & natura, adhibeatur cauſæ cognitio, quæ tamen pro cujusque cauſæ qualitate variat, vid. ſupra *Sect. 1. §. 16.* ubi oſtendimus, ſpecies diverſas Proceſſus ſummarii, & quod, ſecundum diverſitatem objectorum atque finis differant, modoque exactam cognitionem requirant, modo in ſummaria ac breviori ſubſiſtant. Neque enim (3) diffiteri poſſumus, varia ſubinde occurrere negotia, quæ vel non opus habent exactiori cognitione, vel, etſi prolixiorem tractandi requirerent modum, tamen ob concurrentes circumſtantias, compendioſiori cognoſci & decidi debent via, inter quæ præcipue eminent cauſæ, ſpecialiori nomine *diſciplinares* dictæ, quæ proceſſu, utplurimum ſimpliciori ac ſuccinctiori, quam illo, quem alioquin cauſis ſummariis in *Clem. 2. de V. S.* præſcriptum legimus, ne dicamus tumultuario, tractantur, quod illis, qui notitia rerum Academicarum pollent, haud ignotum eſſe poteſt. Utut vero in harum tractatione ſæpius abuſus intercedat, dum facta occurrentia magis feſtinanter ac obiter cognoſcuntur; Attamen rerum Academicarum & Scholaſticarum ſtatum, non aliam, quam

compendiosam in causis his disciplinaribus procedendi rationem permittere, certissimum est; cum & Jus Civ. velit, ut in tali casu Magistratus contra filium contumacem, ex arbitrio patris, procedat, atque eam dicat sententiam, quam pater dici voluerit, prout *l. 3. C. de Pot. Patr.* affatim monstrat.

§. 14. Diffitendum præterea haud est, quod (ς) etiam ex illis, quæ ad Processum summarium DD. requirunt, unus vel alter actus nonnunquam sine vitio nullitatis omitti possit, maxime vero dilationum & terminorum à Jure vel statuto assignatorum spatium, juramentum calumniæ, & quandoque etiam citatio, si is, qui jam præsens est, cognitioni causæ se submittat, de quibus aliisque ad hanc omissionem spectantibus post DD. à se allegatos, videri potest *Zang. de Except. p. 1. c. 2. n. 4. & seq.* quid? quod, contra absentem quoque, ex capite contumaciæ, processum in causa, maxime post lit. contest. continuari, ac sententiam ferri posse, ex *l. 13. §. 2. C. de Jud. Ord. Camer. p. 3. tit. 43. §. 4. & Rec. Imp. noviss. de A. 1654. §.* Würde nun *rc. 36.* plusquam notissimum est. Accedit, quod (ς) processus inordinatus, sive irregularis toleretur, ubi de meritis causæ jam constat, *arg. l. fin. §. fin. ff. quod met. caus. l. 1. §. 1. ff. quæ Sent. sine Appellat. Mevius p. 1. dec. 177. num. 5.* Ex quibus omnibus satis liquere putamus, quod non solum à Superiore, sed etiam à consuetudine Processus summarius coarctari, ac judici, præsertim inferiori, compendiosior procedendi ratio, vel permitti, vel ab eo peracta probari possit, modo sufficienti, pro qualitate negotii, cognitione non destituatur. Modus procedendi enim in causis summariis ita legibus ac moribus præscriptus non est, ut Judicis ἐπιεικείᾳ & arbitrio nihil sit relictum, cum ipsi incumbat, etiam in ordinario processu lites compendiose & συντόμως decidere, juxta *l. 12. C. de Jud.* & monita *Schilter. Ex. ad ff. 13. th. 7.* qui apposite & in terminis hactenus dicta comprobat, dum *cit. Ex. 13. th. 3.* docet, quod non solum in causis exigui momenti, sed etiam in aliis gravioribus, judices inferiores tuto, & meliori cum conscientia, majorique cum laude, processu summario uti possint, quam solennibus istis dilationibus, Lit. contestationibus, probationibus, interlocutionibus, aliisque apicibus, de quibus aut Jus Canon. aut Recessus Imperii, aut Ordin. Provinc. disposuerint, hocque moribus genuinis Germaniæ conveniens esse, in quorum

præ-

præjudicium & perniciem ordinarius, qui vocatur processus, à πλεονεξία Curiæ Papalis introductus fuit, quod & præ aliis *Conring. de Jud. Reip. Germ.* evincit, neque habere dicit *Schilt.* alteram partem, quod conqueratur, cum in secunda instantia penes Curias provinciales, & alia superiora Judicia, processus ordinarius ipsis adhuc integer maneat, tandem concludit: Se meminisse hoc ipsum in pluribus provinciis & præfecturis, sicubi judicantium avaritia non prævaluit, feliciter observatum fuisse.

§. 15. Num vero *Carpzovii* processus irregularis, sive tumultuarius, ad hanc ipsam compendiosiorem tractandi viam referri queat? id *posterioris* est *quæstionis*, circa quam, si *Oldekop.* sequamur mentem, negativa omnino probanda esset, dum expresse asserit, *Carpz.* nobis obtrudere processum, qui omnibus processus substantialibus, etiam illis, quæ Juris N. & G. esse dicuntur, adeoque legitima causæ cognitione caret. Sed enim vero hoc *Carpzov.* nullibi asseruisse, verum eo ipso tantum duriorem sibi attraxisse videmus causam, quod, in describendo hoc processu, nonnunquam generalioribus utatur verbis. Attamen si ingenui verborum *Carpzov.* interpretes esse velimus, inveniemus sane, quod minime ejusmodi intelligat aut supponat processum, qui Juri N. & G. plane adversatur, sed talem potius, quem jam descripsimus, quive idcirco, quod compendiosior sit summario, irregularis vocari potest, hocq; arguunt verba ipsius accuratius inspecta, atque idem bonæ interpretationis regulæ exigunt, præcipue, si consideramus ea, quæ non solum de æquitate, qua hunc processum æque ac consuetudine niti docet, sed insimul quoque de objecto, quod vel passum juris dubii, qui nullam admittit moram, vel paupertatem esse dicit, proponit, vel maxime autem ea, quæ de ejus fine, scil. justitia citius administranda, annectit, atque monet, cavendum esse, ne hoc mantello judices errata sua tegant. Ex quibus omnibus apparet, nihil eum de tali asseruisse ac statuisse Processu, qui Juri N. & G. repugnet, idque vel unicus finis, administratio scil. justitiæ, evincit, quia de materia practica hic agitur, in qua principium demonstrandi regulariter petitur à fine, *Joh. à Felde Differt. de Interpr. Pact. §. 8.* quo cognito, non facile latere poterunt media, cum & finis sit norma mediorum, hæc vero in processu sunt ea, quæ substantialia ejus dicuntur, sive quæ pertinent ad sufficientem causæ cognitionem, qui

igitur vult finem, vult etiam media, quæ ad eundem sunt necessaria, quod in *Carpz.* processu observandum est. Neutiquam enim defendere vult judices, qui hoc prætextu licentiam sibi sumunt, processum quemvis suo dirigere cerebro; sed illis solum veniam tribuit, qui, protractionem litium evitantes, causam cito decidunt, vel etiam, ob deficientem solidam juris cognitionem, aliter decidere non possunt. Ubi enim nec de actione, nec de processu formando constat judici, eum vix aliter, quam ex æquo & bono, secundum justitiam tamen, in materialibus decidere posse, ipse *Carpzov.* dicit, atque sub hac hypothesi processum hunc suum in dicasteriis & collegiis JCtorum haud improbatum esse testatur. Quibus verbis idem innuit, quod jam antea ex *Schilt.* adduximus: Compendiosiorem causas cognoscendi rationem in judiciis inferioribus non tantum subinde occurrere, sed & ad Reip. felicitatem conducere. Huc pertinet, quod traditur passim à DD. Nullitates processus, in prima instantia commissas, in Curia suprema non esse attendendas, modo de meritis causæ & justitia liqueat. Vid. *Ord. Cam. p. 3. tit. 38. §. 2. Mynsing. cent. 1. obs. 27. & passim Gail. l. 1. obs. 41. num. 1. Meichsner. tom. 3. dec. 18. n. 1. & dec. 19. n. 2.* quorsum spectat, quod Jure Regio Hispanorum defectus solennium judicium haud vitiare dicat *Parlad. 2. Rer. quotid. c. 10. n. 1.* Quare exempla causarum, à *Carpz.* adductarum, suppositis his terminis habilibus, hujus processus objectum constituere possunt.

§. 16. Quæ cum ita sint, nihil refragantur ea, quæ ab *Oldekop.* contra hunc processum irregularem operosius deducta sunt. Ad (1) enim dubium facilis est responsio, quod nihil intersit, utrum divisio hæc judicii apud alios Interpretes inveniatur, nec ne. Non enim omne, quod novum est, rejici debet, eo quod novum sit, neque à novo jure constituendo ad novam divisionem valet consequentia, sed sufficit, divisionem illam, ut demonstratum fuit, non repugnare analogiæ Juris, hinc negatur, eam esse inutilem & justitiæ damnosam, ac propterea improbandam. Concedimus quidem, bene distinguentem bene docere, sed hic iterum distiguendum inter divisionem artis & usus, & quod usus, tanquam rerum Magister, sæpe aliquid confirmet, quod artium regulis non adeo convenit, ut ex variis divisionibus, ab Interpretibus Juris relatis, probari posset, nisi prolixitatem evitare vellemus. Qua propter non tam *Carpzov.*


ipse

ipse ita processum distinguit, quam potius, observantia edoctus, usum fori ita distinguere tradit. Quod (2) irregulare hoc judicium destituatur substantialibus Jur. N. & G. hoc est Κριτηρίων, & in quæstione, an unquam *Carpz.* tale supposuerit, id quod hactenus ex ejusdem verbis negavimus, & quamvis contra Logicorum regulas peccare dicatur, non peccavit tamen contra regulas, (si ita dicere fas est) usus, quod modo monuimus. Unde porro (3) *Oldekop.* dubium se ipsum diluit, siquidem ex ipsis *Carpzov.* verbis monstravimus: Illum ejusmodi processum, qui legitima causæ cognitione caret, nunquam intendisse, multo minus probasse. Eodem ictu cadit, (4) quod sine legis ratione sit excogitatus, nec non (5) quod consuetudo talis irrationabilis & suspecta sit eliminanda, neque (6) *Carpzov.* obest definitio judicii, cum & in hoc suo irregulari modo legitime procedat Judex, non quidem ratione solennium, sed ratione causæ meritorum, quare improbari nequit, modo Justitiæ administrationem, (quam omnino intendit) pro fine habeat, de qua in (7) dubio agitur. Interim periculum, quod subest, atq; protractio litium nociva omnino hunc celeriorem & compendiosiorem tractandi modum salvare potest, maxime si eô obtineamus idem, quod alias longiori processu consequimur. Unde quoque in causis injuriarum judex partes ad transactionem & remissionem subinde cogere potest, si ex ea idem actor consequatur, quod ex actione instituta sperat, aut sperare unquam potest. *Mev. p. 1. dec. 224. num. 9.* Quod igitur (9) idem, quod improbat, excuset, aut quod prohibet, permittat, id ex ejusdem verbis vix ac ne vix quidem probabitur, nec quod casibus pro amico locum relinquat. Denique (10) ad exempla ab *Oldekop.* impugnata respondemus: Nos jam antea indicasse, ea, suppositis terminis habilibus, intelligenda esse, neque etiam aliter intelligi posse, juxta ipsam mentem *Carpzov.* Quo circa cum privatim ac publice utile sit, quantocyus discedi à controversiis in quibusdam negotiis, (veluti in causis injuriarum, disciplinaribus & aliis) atque coerceri contumaciam litigantium ac subditorum, judici quoque contra ordinem, nonnunquam ex causa quid statuere permissum erit, *arg. l. ult. ff. de Injur.* ex qua *Anton. Fab. lib. 9. Cod. t. 20. def. 10.* recte infert, quod etiam actoris vindictæ cupiditatem coercere possit, quo respectu non omnis judicialis persecutio injuriæ semper vacare peccato dicitur, sed ea tan-

tum, quæ fit boni publici causa, absque libidine ulciscendi. *Ziegl. ad Grot. l. 1. c. 2. §. 8. n. 7.* & *Grot. eod. n. 13.*

§. 17. Ex quibus omnibus tandem satis abundeque liquere putamus, hunc *Carpzovii* Processum irregularem, sive tumultuarium, non omni plane destitui ratione, neque pro monstroso, injusto, inutili ac damnoso actu habendum esse, sed vel maxime aliquando, pro diversitate circumstantiarum, vel necessario vel utiliter adhiberi posse. Quare etiam laborem nostrum, ejus explicationi impensum, haud frustraneum esse speramus, B. Lectorem insimul rogitantes, ut hisce nostris Conatibus benigne annuat. Interim

Soli DEO sit Gloria.



SIc Ciza doctum Te qvoq; filium
Nostras ad oras mittit, & optimis
Coronidem solertem apud Nos
Addere vult studiis, Amice.

Qvas terra fruges Misnica severat,
Has nostrum amœnô largifluas sinu
Maturat arvum, copiæq;
Ubere Tu metis ipse cornu.

Messem ecce! gratans ominor indies
Optatiorem laudis adoream,
Honoris in templô paratam,
Multijugô meritam labore.

Id qvod Clarissimi DN. RESPONDENTIS *ornamento dicabat*

CHRISTOPHORUS Sonntag/ D.

Si

SI quis & Baldi titulos anhelat
Et Viri docti elogium, huic necesse est,
Codices volvat sine fine doctus
Heluo plures.

Fixus hic idem est tibi, Amice, limes:
Id quod in nostrâ Specimen cathedrâ
Editum firmat: nec enim fuisti
Codicis expers.

Gratulor summo Tibi corde, posthac
Apprecans pulcræ Themidos brabeum:
Det Deus, possis Studiis beatam
tangere metam!

Hisce Nobili atque præclare docto DN. HUTTERI, suo hactenus Auditori ac Fautori, de præsenti solidæ Eruditionis Specimine gratulari, atque, ut id ipsum Suprema Themidos brabéa brevî cum DEO excipiant, apprecari voluit

PRÆSES.

UT lites minuas & pressis jura ministres
Astrææ stabili junctus amicitia,
Hoc precor hoc voveo: pergas pertexere telam,
pergenti tribuet præmia summa Themis.

Exigua hæc
Nobilissimo atq; Doctissimo
DN. HUTTERO, J. U. C.
Fautori, Amico & Commensali suo ut honoratissimo,
ita suavissimo, deproperabat

JOHANN. MARTINVS Trechsel/
dictus Großkopff.

Dum

DUm parat hic Annus canens sibi fata suprema;
Ingenii formam, sollicitamq; Tuam
Hoc etiam in Studiis curam Tentamine monstras,
Præmia sicq; Tibi digna suprema paras.
Gratulor hisce Tuis animosis ausibus, optans
Mox caput ut doctum digna corona tegat.

Ita
Volante calamo *Clarissimo* DN. RESPONDENTI,
Commensali & Amico suo honoratissimo,
ὁλοψύχως gratulatur, ac prospera quæque
vovet
JOHANNES MICHAEL FUNK,
Med. Stud.

SI, sua labra rigat qui semper Palladis undis
Ingentes titulos & nomina magna reportat;
Nullus erit, qui quæso neget Tibi præmia laudum,
Quæ merito vel jure Tibi debentur, Amice.

Ita
Gratulabatur Nobilissimo DN. RESPONDENTI,
Consalino & Amico suo æstumatissimo,
MAGNUS PAULUS HARTMANN,
LL. Stud.

